Quelle: http://manuscripta.at/?ID=36549
Copyright: Göttweig, Benediktinerstift

96

tatem. Manifestissime dei filium negant. quem pu-
tant non suis sed alienis viribus signa facere. Res-
pondens ihesus dixit illis. Interrogo vos et ego unum
sermonem. Quem si dixeritis mihi. et ego vobis dico in
qua potestate hec facio Babtismum iohannis unde
erat? De celo an ex hominibus? et reliqua. Hoc est
quod vulgo dicitur: malo arboris nodo. malus clavus
aut cuneus infigendus est. Poterat dominus apta respon
sione temptatorum calumniam confutare. sed prudenter
interrogat. ut suo ipsi vel silentio vel sententia con
dempnentur. Si enim respondissent baptisma iohannis
esse de celo ut ipsi sapientes in malitia pertractabant:
consequens erat responsio. Quare ergo non estis bapti
zati a iohanne? Si dicere voluissent humana
deceptione compositum et nichil habuisse divinum.
seditionem populi formidabant. Omnis enim congregata
multitudines iohannis receperant baptisma. et sic
eum habebant ut prophetam. Respondit itaque im
piissima factio. et humilitatis verbo quo nescire
se dicera usa est ad insidias coaptandas. Ait illis
et ipse. Nec ego dico vobis. in qua potestate hec
facio. Illi in eo quod se nescire responderant menti
ti sunt. Consequens ergo erat iuxta responsionem eorum.
dominum quoque dicere nescio. sed mentiri veritas non potest.
et ait. Nec ego dico vobis. Ex quo ostendit et illos
scire. sed respondere nolle. et se nosse et ideo non dicere.
quia illi quod sciant taceant. Et statim infert parabo
lam qua et illos impietatis arguat. et ad gentes